

die quo lux facta est, conditio spiritualis et intellectualis creaturae lucis appellatione intimatur, in qua natura intelliguntur omnes sancti Angeli atque Virtutes. „ Damascenus etiam dicit, quod Angelus est „ substantia intellectualis et incorporea. „ Sed dubium facit quod postea subdit: „ Incorporeus autem et immaterialis dicitur quantum ad nos: omne enim comparatum ad Deum, grossum et materiale invenitur. „ Quod ad hoc inducitur ut non aestimetur Angelus propter suam incorporeitatem et immaterialitatem divinam simplicitatem aequare. Corporales vero figurae seu formae quae in Scriptura sacra interdum Angelis attribuuntur, per quamdam similitudinem sunt intelligendae: quia, sicut dicit Dionysius in 1 cap. cael. Hierar.: „ non est possibile nostrae menti ad immaterialem illam sursum excitari caelestium hierarchiarum et imitationem et contemplationem, nisi secundum se materiali manu ductione utatur: „ sicut et de ipso Domino multa corporalia in Scripturis per quamdam similitudinem dicuntur: unde 15 cap. cael. Hierar. Dionysius exponit quid spirituale significetur in Angelis per omnes huiusmodi corporales figuras. Nec solum huiusmodi formas corporeas per similitudinem de Angelis asserit, sed dicit etiam ea quae pertinent ad affectionem sensitivi appetitus; ut per hoc detur intelligi, quod non solum Angeli non sunt corpora, sed etiam non sunt spiritus corporibus uniti, qui sensificando percipiant, ut sic in eis inveniuntur operationes animae sensitivae. Dicit enim in 2 cap. cael. Hier., quod „ furor irrationabilis ex passibili motu gignitur; sed in Angelis altero modo oportet irascibile intelligere, declarans, ut aestimo, virilem ipsorum rationabilitatem. „ Alia littera habet sic: „ Sed in Angelis furibundum demonstrat virilem ipsorum rationabilitatem. „ Et similiter dicit, quod concupiscentia in eis significat amorem divinum. Cui consonat id quod Augustinus dicit in 9 de civ. Dei, quod „ sancti Angeli sine ira puniunt quos accipiunt aeterna Dei lege puniendos; et miseris sine miseriae compassione subveniunt, periclitantibus, et eis quos diligunt, absque timore opitulantur; et tamen istarum nomina passionum consuetudo locutionis humanae etiam in eos usurpat propter quamdam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem. „ Quod autem Angeli dicuntur esse in caelis, aut in aliquibus aliis corporalibus locis, non est intelligendum quod sint in eis corporali modo, scilicet per contactum dimensionis quantitatis; sed modo spirituali per quemdam contactum virtutis. Proprius autem locus Angelorum est spiritualis, secundum quod Dionysius dicit, 5 cap. de divinis Nominibus, quod „ supremae spirituales substantiae sunt in vestibulis Trinitatis collocatae; „ et Basilius dicit in 2 Hexameron, quod „ sunt in luce, et in laetitia spirituali habitant; „ et Gregorius Nyssenus (Nemesius) dicit in lib. de

Homine, quod „ intelligibilia in intelligibilibus locis sunt, aut in se ipsis aut in superjacentibus intelligibilibus. Cum igitur in corpore dicitur intellectuale aliquid localiter esse, non ut in loco corporeo dicitur esse sed ut in habitudine, et in eo quod adest, ut dicimus Deum esse in nobis; „ et post pauca subdit: „ Cum igitur in habitudine fuerit intelligibile aliquid vel loci alicujus, vel rei ut in loco existentis; abusive dicimus illic id esse propter actum ejus qui est illic, locum pro habitudine suscipientes. Cum enim deberemus dicere „ Illic agit, dicimus „ Illic est. „ Et hoc sequens Damascenus dixit, quod „ Angelus ubi operatur ibi est. „ Augustinus etiam 8 super Gen. ad litteram dicit, quod „ spiritus creator movet conditum spiritum per tempus sine loco; movet autem corpus per tempus et locum. „

Ex quibus omnibus datur intelligi substantias spirituales non esse in loco corporaliter, sed quodam modo spirituali. Et quia eodem modo competit alicui moveri in loco, et esse in loco; per consequens neque corporali modo Angeli moventur in loco; sed motus eorum qui exprimitur in Scripturis, si referatur ad locum corporealem, est accipiendus secundum successionem virtualis contactus ad loca diversa; vel est accipiendus secundum mysticam intelligentiam, sicut Dionysius, 4 cap. de divin. Nomin. dicit, quod „ moveri dicuntur divinae mentes circulariter quidem unitae illuminationibus pulchri et boni; in directum autem quando procedunt ad subjectorum providentiam; oblique vero quando procedentes minus habentibus ingressibiliter manent circa Deum. „

Ex his igitur manifestum est quid circa conditionem spiritualium substantiarum, idest Angelorum, sacri Doctores traderint, asserentes eos incorporeos et immateriales esse.

## CAPUT XIX.

*De distinctione spirituum Angelorum.*

Oportet autem consequenter considerare quid secundum sacram doctrinam de distinctione spirituum sit tenendum: ubi et primum considerandum occurrit de differentia bonorum et malorum. Est enim apud multos receptum, esse quosdam spiritus bonos, quosdam vero malos: quod auctoritate sacrae Scripturae comprobatur. De bonis enim spiritibus dicitur Hebr. 1, 14: „ Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui haereditatem capiunt salutis. „ De malis autem spiritibus dicitur, Matthaei 12, 43: „ Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quaerens requiem,



uniquae speciei sit attributa natura secundum convenientiam suae formae, non videtur esse possibile quod in tota aliqua specie sit naturalis inclinatio ad id quod est malum illius speciei secundum rationem propriae formae; sicut non omnibus hominibus inest naturalis inclinatio ad immoderantiam concupiscentiae sive irae. Sic igitur non est possibile omnes daemones habere naturalem inclinationem ad fallaciam et ad alia mala, etiam si omnes essent unius speciei. Multo ergo minus, si singuli essent in singulis speciebus; quamvis, si sint corporei, nihil impedire videatur plures sub una specie contineri: poterit enim secundum diversitatem materiae diversitas individuorum unius speciei causari. Oportebit igitur dicere, quod non omnes natura nec semper fuerunt mali; sed aliqui eorum mali esse inceperint proprio arbitrio, passionum inclinationem sequentes. Unde Dionysius dicit, quod "aversio," scilicet a Deo, "est ipsis daemonibus malum, et quasi mentium excessus, quia per superbiam ultra se ipsos sunt elati;" et postea subdit quaedam ad poenam pertinentia; sicut "non consecutio finis ultimi," et "imperfectio," per carentiam debitae perfectionis, et "impotentia consequendi quod naturaliter desiderant, et infirmitas virtutis conservantis naturalem in eis ordinem revocantem a malo." Augustinus etiam dicit in 3 super Genes. ad litteram, quod transgressores Angeli ante transgressionem suam fuerunt in superiori parte aëris propinqua caelo cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo, indistincte exprimens per transgressionem quamdam eos esse malos factos. Sed et Damascenus dicit in 2 libro, quod "diabolus non natura malus factus est, sed bonus existens, et in bono genitus, liberi sui arbitrii electione versutus." Hoc insuper et Origines in 2 Periarchon, et Augustinus in 2 de Civitate Dei, auctoritatibus sacrae Scripturae confirmant, inducentes id quod habetur Isa. 14, 12, dictum diabolo sub similitudine regis Babylonis: "Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris?" et Ezechielis 28, 12, ad eum dicitur in persona regis Tyri: "Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti;" et postea subditur: "Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te." Voluit Augustinus in his verbis dici id quod dicitur Joanni 8, 44: "Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit," et etiam id, quod in canonica Joannis (1 cap. 3, 8), dicitur, quod "diabolus ab initio peccat," referens hoc ad initium quo incepit peccare, vel ad initium conditionis humanae, quo deceptum hominem spiritualiter occidit. Huic autem sententiae consonare videtur Platoniorum opinio, qui daemonum quosdam bonos, quosdam malos dicunt, quasi eos proprio arbitrio bonos vel malos factos. Unde et Plotinus ulterius procedens dixit

animas hominum daemones esse, et ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt, Lemures autem mali, seu Larvas. Manes autem eos<sup>1</sup> dicit, si incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum; sicut Augustinus introducit 9 de Civitate Dei. Qui quidem quantum ad hoc praemissae Sanctorum assertioni concordat, quod pro meritis bonis vel malis aliquos daemones bonos vel malos esse asserunt; quamvis non sit nostrae consuetudinis quod bonos spiritus daemones, sed Angelorum nomine nominemus. Quantum vero ad hoc quod dixit, animas hominum mortuorum fieri daemones, est erronea positio. Unde Chrysostomus dicit exponens id quod habetur Matthaei 8, 28: "Duo habentes daemonia exeuntes de monumentis;" "Per hoc (inquit) quod subditur, "de monumentis exeuntes," perniciosum dogma imponere volebant, quod animae morientium daemones fiant. Unde et multi aruspicum occidunt pueros, ut animam eorum cooperantem habeant. Propter quod et daemoniaci clamant, quoniam anima illius ego sum. Non est autem anima defuncti quae clamat, sed daemon hoc fingit, ut decipiat audientes: si enim in alterius corpus animam mortui possibile esset intrare, multo magis in corpus suum. Sed neque habet rationem, iniqua passam animam cooperari iniqua sibi facienti: vel hominem posse virtutem incorpoream in aliam transmutare substantiam, scilicet animam in substantiam daemonis. Neque enim corporibus in hoc machinari quis potest, ut in hominis corpus faciat asini corpus. Neque enim rationabile est animam a corpore separatam hic jam oberrare." Justorum enim animae in manu Dei sunt. (Sap. 3, 3). Unde et quae puerorum,<sup>2</sup> neque enim malae sunt; sed et quae peccatorum sunt, confestim hinc abducuntur. Et hoc manifestum est ex Lazaro et divite." Nec tamen putandum est Plotinum in hoc a Platoniorum opinione deviasse, ponentium daemones esse aërea corpora, quod animas hominum post mortem fieri existimabat; quia etiam animae hominum secundum Platoniorum opinionem, praeter ista corpora corruptibilia habent quaedam aetherea corpora, quibus semper etiam post sensibilibus corporum dissolutionem quasi incorruptibilibus uniuntur. Unde Proclus dixit in libro divinarum coelementationum: "Omnis anima participabilis corpore, utitur primo perpetuo, et habente hypostasim ingenerabilem et incorruptibilem." Et sic animae a corporibus separatae secundum eos aërea animalia esse non desinunt.

Sed secundum aliorum Sanctorum sententiam, daemones quos malos esse dicimus, non solum fuerunt de inferiori Angelorum

<sup>1</sup> Al. Deos.

<sup>2</sup> Ita Chrysostomus loc. cit. Al. pravorum forte pro parvorum, vel parvulorum irreperat.



ordine, sed etiam de superioribus ordinibus, quos incorporeos et immateriales esse ostendimus, ita quod inter eos unus est qui summus omnium fuit. Unde Gregorius in quadam homilia, exponens illud Ezech. 28: "Omnis lapis pretiosus operimentum tuum," dicit quod principes malorum angelorum in aliorum angelorum comparatione ceteris clarior fuit. Et in hoc consentire videtur illis qui deorum quosdam bonos quosdam malos esse asserebant, secundum quod dii Angeli nominantur. Unde et Job 4, 18, dicitur: "Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles; et in Angelis suis reperit pravitatem."

Sed hoc multas difficultates habet. In substantia enim incorporea et intellectuali nullus appetitus esse videtur nisi intellectivus, qui quidem est simpliciter boni, ut per Philosophum patet in 12 Metaphysicae. Nullus autem efficitur malus ex hoc quod ejus intellectus simpliciter tendit in hoc quod est simpliciter bonum, sed ex hoc quod tendit in aliquid quod est secundum quid bonum, ac si esset simpliciter bonum. Non ergo videtur esse possibile quod proprio appetitu aliqua incorporea et intellectualis substantia mala efficiatur.

Rursus appetitus esse non potest nisi boni, vel apparentis boni, bonum enim est quod omnia appetunt. Ex hoc autem quod aliquis verum bonum appetit, non efficitur malus. Oportet igitur in omni eo qui per proprium appetitum malus efficitur, quod appetat apparens bonum tamquam vere bonum. Hoc autem non potest esse nisi in suo iudicio fallatur: quod non videtur posse contingere in substantia incorporea intellectuali, quae falsae apprehensionis capax, ut videtur, esse non potest. Nam et in nobis quando intelligimus vere aliquid, falsitas esse non potest. Unde Augustinus dicit in lib. 83 Quaestionum, quod "omnis qui fallitur, id in quod fallitur, non intelligit." Unde et circa ea quae proprie intellectu capimus, sicut circa prima principia, nullus decipi potest. Impossibile igitur videtur quod aliqua incorporea et intellectualis substantia per proprium appetitum mala fiat.

Adhuc. In substantia quae est intellectualis naturae, a corpore separata, necesse est quod sit operatio a tempore absoluta. Potentia enim uniuscujusque rei ex ejus operatione deprehenditur: operatio vero recognoscitur ex objecto. Intelligibile autem, inquantum hujusmodi, neque est hic, neque unum numero, sed abstractum sicut a loci dimensionibus, ita et a temporum successione. Ipsa igitur intellectualis operatio, si per se consideretur, oportet quod sicut est abstracta ab omni corporali dimensione, ita etiam excedat omnem successione temporalem. Et si alicui intellectuali operationi continuum vel tempus adjungatur, hoc non est nisi per accidens, sicut in nobis accidit, inquantum intellectus noster a phantasmatis

abstrahit intelligibiles species, quas etiam in eis considerat. Quod in substantia incorporea et intellectuali locum habere non potest. Relinquitur igitur quod hujusmodi substantiae operatio, et per consequens substantia, omnino sit extra omnem temporalem successione. Unde Proclus dicit, quod "omnis intellectus in aeternitate substantiam habet, et materiam et operationem:" et in lib. de Causis dicitur, quod intelligentia parificatur aeternitati. Quidquid igitur substantiis illis incorporeis et intellectualibus convenit, semper et absque successione convenit illis. Aut igitur semper fuerunt malae, quod est contra praemissa; aut nequaquam malae fieri potuerunt.

Amplius. Cum Deus sit ipsa essentia bonitatis, ut Dionysius dicit in 1 capite de div. Nom., necesse est quod tanta aliqua sint perfectius in participatione bonitatis firmata, quanto sunt Deo propinquiora. Manifestum est autem substantias incorporeas supra omnia corpora esse. Sed aliqua corpora, scilicet caelestia, non sunt susceptiva alicujus inordinationis vel mali. Ergo multo minus illae supercaelestes substantiae inordinationis et mali capaces esse non potuerunt. Unde et Dionysius dicit, 4 cap. cael. Hierar., quod "caelestium substantiarum ornatus super solem existentia, et irrationabiliter viventia, et ea quae secundum nos sunt rationabilia, et participatione divinae traditionis sunt facti, et copiosiores ad Deum habent communionem, attentim manentes, et semper ad superius, sicut est fas, in fortitudine divini et indeclinabilis amoris extenti." Hoc igitur videtur ordo rerum habere ut sicut inferiora corpora inordinationi et malo possunt esse subjecta, non autem caelestia corpora; ita etiam intellectus corporibus inferioribus uniti possunt subjici malo, non autem illae supercaelestes substantiae. Et hoc secuti esse videntur qui posuerunt daemones quos malos esse dicimus, ex inferiori ordine et corporeos esse.

*Opusculum hoc, uti patet, non fuit ab Auctore absolutum.*